

torum Lo-
gicorum
encomiū.

Regula in
generali
argumen-
torū inue-
ntione ob-
seruanda.

I.

II.

III.

scientiæ capita seu elementa & literæ cognitionis humanæ, vt ait Cicero omnis-
que doctrinæ fontes vberrimi. Hi, inquam, veluti generales sunt tituli, classes,
indices, domicilia rerum, ex suis sigillatim artibus inueniendarum. Siue igitur in
ecclesia, siue in foro, siue de persona, siue de re quapiam necessaria, probabili, fal-
sa, vel ficta dicendum erit, iuxta hos decem titulos, ad omnem rerum indagatio-
nem procedendum erit. Ergo hæc generalia inuentionis capita ex reb. subiectis,
quæ infinitæ, distingui non debent.

Obseruandum tamen quod monet *Aristoteles 2. Rhet. cap. 21.* ea argumenta po-
tissimum colligenda, quæ ad rem ipsam quam proxime accedant. Hæc enim ad
docendum accommodatiora sunt. Voco autem communia hoc modo; Vt si quis
Achillem laudet quod homo sit, quod heros, & quod ad bellum Troianum pro-
fectus sit. Hæc enim aliis multis competunt. Quare qui hæc commemorant, non
magis Achillem, quam Diomedem, aut alium aliquem laudarit. Propria vero
illa dico, quæ nemini alii contigerunt. Vt quod Hectorem, Troianorum præstan-
tissimum Ducem interfecerit. Hæc ille.

Deinde & hoc obseruandum erit, non omnia argumenta ad demonst-
randum, declarandum aut illustrandum æque esse idonea. Quamuis enim omnia o-
mnibus rebus explicandis suo modo inseruiant: Alia tamen ad probandum seu
demonstrandum, alia ad illustrandum & amplificandum sunt accommodatiora.
Sic Causa, Effectum, Subiectum, Adiunctum, Definitio & Distributio, rerum o-
mnium probationibus & demonstrationibus; cætera quatuor, vtpote Dissenta-
nea, Comparata, Nomen, Testimonium, illustrationibus & amplificationibus
sunt aptiora, vt exemplis postea notum erit.

Habent autem argumenta mutuam quandam affectionem & vim naturalem,
qua se mutuo & reciproce quasque per relationem possunt declarare. Quæ qui-
dem affectio variat pro varia cuiusque consideratione ad alias atque alias res
quod hoc exemplo ostendemus, vt cum dico: Sol est auctor temporum
& tempestatum. Hic affectio est causæ & effecti. At si dico: Sol à Deo est
creatus, hic Deus causa & Sol effectum. Sic si dico: Sol à Deo productus à
luce illa primo die creata. At si dico: Sol fons est caloris externi, hic Sol habet
se ad calorem vt subiectum ad adiunctum. Eodem modo cum dico: Sol à Deo
in cælo est positus proprioque motu mouetur. Sol obscuratur interueniente
Luna inter aspectum nostrum & Solem. At si dicam: Sol non est Cometa, aut,
Sol non est immobilis in cælo stella, affectio est dissentaneorum. Sin vero: Sol
est oculus, cor & anima quasi magni illius mundi, Choragus planetarum, affe-
ctio est comparatorum similium, iterum si dicam: Sol nomen habet à solus quod
ferme solus luceat: Hic affectio est, qualis inter nomen & notationem. Item
Sol solariter lucet, coniugatorum est affectio. At cum aio: Sol est planeta; affe-
ctio est generis & speciei. Cæterum cum dico: Sol est planeta suo motu dies,
annum